· postea dixi quo uenias ·
Primo dixi qua uenies ego sum uia, ego sum ueritas ego uita,
Manens apud patrem ueritas et uita, induens se carne fac
tus est uia, Non tibi dicitur, labora quaerendo uiam ut peruenias
ad ueritatem et uitam, Non hoc tibi dicitur, piger surge, uia ipsa
ad te uenit et te de somno [dormientem] excitabit, [si tamen excitauit] surge ambula, forte co
naris ambulare et non potes quia dolent pedes, Unde dolent pedes,
an iubente auaritia per aspera cucurrerunt, Sed dei uerbum sanauit
et claudos, ecce inquis, sanos habeo pedes sed ipsam uiam non uideo, Inluminauit
et caecos, hoc totum per fidem quamdiu peregrinamur a domino manentes in
corpore, Cum uero perambulauerimus et ad ipsam patriam ue
nerimus, Quid nobis erit laetius, quid nobis erit beatius, quia nihil paca
tius, Nihil enim aduersus hominem rebellabit, Nunc uero perdifficile
sine rixa sumus, ad concordiam quidem uocati sumus, iubemur pacem
habere inter nos, ad hoc conandum est omnibus quantis possumus uiribus, ut ali
quando ueniamus ad perfectissimam pacem, modo autem litigamus
plerumque cum eis quibus consulere uolumus, Ille errat tu uis ducere
ad uiam, resistit tibi litigans, resistit paganus disputas contra
errores idolorum et demoniorum, resistit hereticus disputas con
tra alias doctrinas demoniorum, malus catholicus non uult bene
uiuere, corripis etiam interiorem fratrem tuum et cum manet in do
mo et perditas uias [quaerit] sequitur quomodo corrigas, uel ab illo bonam rationem
domino amborum reddas, Quanta undique rixarum necessita
tes, plerumque homo taedio affectus dixit apud semetipsum quid mihi est
pati contradictores, pati eos qui reddunt mala pro bonis, Ego uolo
consulere illis, uolunt perire, consumo uitam meam litigando, pacem
non habeo, inimicos [in]super facio quos amicos habere deberem, Si be
niuolentiam consulentis attenderent, Quid mihi est ista perpeti, redeo
ad me mecum ero, dominum meum inuocabo, redi ad te ipsum ibi inuenis ri
xam, si coepisti deum sequi ibi inuenis rixam, Quam rixam inquis inuenio,
caro concupiscit aduersus spiritum et spiritus aduersus carnem, Ecce
tu praeter et certe solus es, ecce tecum es, ecce alium nullum hominem
pateris, sed uides aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis
tuae et captiuantem te in lege peccati quae est in membris tuis, Et clama
ergo et rixa interiora clama ad dominum ut tibi pacificet te,
miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius gratia dei
per ihesum christum dominum nostrum, quia qui me [quid] sequitur non ambulabit in tenebris.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0082